



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmeſtadi[i], 1671

Cap. III. De martyrio Simonis Episcopi Hierosolymitani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

D. HAYMONIS
 HALBERSTADENSIS
 HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER IV.

CAPVT I.

*Qualiter post obitum Apostolorum intravit hæresis
 in Evangelium Dei.*

Post obitum beati Ioannis, & decessum Apostolorum, siue illius chori, qui à Domino susceperat vi-
 vae vocis auditum, statim ut in vacuum domum,
 ingerunt se pestilentes hæretici in Ecclesiam.

CAP. II.

Persecutio Trajani Imperatoris.

Sed & Trajanus Imperator adversum Christianos ma-
 ximam movit persecutionem: sub quo Simon, Hiero-
 solymorum Episcopus, accusantibus hæreticis, per di-
 es aliquot afflictus suppliciis, ad ultimum crucifigitur,
 admirante ipso Iudice, quod senex e. & xx. annorum
 crucis patibulum pertulisset. Tunc multa martyrum mil-
 lia jugulantur, quibus *Plinius Secundus*, Præses, motus,
 scribens ad Imperatorem, pro nostris deprecatur, af-
 ferens; nullum in eis crimen, nisi quod antelucanos hy-
 mnos Christo cuidam canerent Deo.

CAP. III.

De martyrio Simonis Episcopi Hierosolymitani.

Igitur Simone per martyrium resoluta, *Iustus* quidam
 suscepit ejus Episcopatum, Tunc urbis Romæ Ponti-
 fex

Sex Clemens novem annis sacerdotio functus, Evaristo reliquit Papatus ministerium.

CAP. IV.

De Ignatio forti athleta.

Tunc etiam Ignatius, post Petrum secunda successione, Antiochenus Episcopus, de Syriae partibus ad urbem Romam transmittitur, & pro confessione Christi, educitur ad bestias. Qui athleta Christi fortissimus in quadam Epistola sua, quam ad Romanos scribit, id etiam deprecatur, ne velint eum spe martyrii privare, in qua his ipsis utitur verbis, uti vere Christianissimus & immobilis à fide: *O salutare bestias, quæ præparantur mihi! Quando venient, quando emittentur, quando licebit eis frui carnibus meis? quas ego opto acriores parari, & invitabo ad devorationem mei, & deprecabor, ne forte, ut in nonnullis fecerunt, timeant contingere corpus meum: quin imo, etsi cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date quæso veniam: ego quippe novi, quid expediat mihi. Nunc incipio esse Christi discipulus. Ignis, cruces, bestia, dispersiones ossium, discerptiones membrorum, totius corporis pœne, & omnia in me unum supplicia, diaboli arte quæsitæ, compleantur, dummodo Iesum Christum merear adipisci. Sed & multas alias scribit Epistolas; qui à Syria Romam navigans, & per omnes, quas ingrediebatur, exhortans ecclesias & confortans in domino, tandem, ut & ipse scribit, connexus & colligatus, decem Leopardis, militibus, datis ad custodiam, feliciter migravit ad Dominum.*